



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. XII. De Cauorum moribus ac institutis. Comitia sub dio celebrata. Duplicem ob caussam: necessitatis unam, superstitionis alteram. Dani, Poloni, Franci libero consultationes suas aetheri ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**

*lariis mentio fiat pagi, sicut in Australi regione, cui nomen Hollandia, à vero fortè non abeat, hunc ipsum pagum fuisse avitum Diderici comitatum: in cujus vocabuli consortium mox totum hoc eidem principi creditum corpus imperii venerit.*

## C A P. XII.

*De Caucorum moribus ac institutis. Comititia sub dio celebrata. Duplicem ob causam: necessitatis unam, superstitionis alteram. Dani, Poloni, Franci libero consultationes suas atheri commiserunt. Sic in Chaucide Minore Frisii, ad Vpstalessbomum. Et in Chaucide Majore Bremenses hodièque, prope Basdaliàm. Ruricolis nostris jura sub dio reddi. Quercus religio. Quæ signum numinis. Sanctiva arbor. Staleke quercus.*

**D**Uæ compulère populos, ad comitia patentibus in causis agitanda, causæ: Una loci fuit amplitudo deligenda, quæ sufficeret immensæ receptandæ coëuntium turbæ. Testatur enim Tacitus, de majoribus omnes consultasse rebus. Iterum: *Vt turbæ placuit, confidunt armati.* Et apud Cæsarem Induciomarus armatum concilium indicit. Hoc more Gallorum est initium belli, quo, lege communi, omnes puberes armati convenire coguntur. Comment. v. At quæ illa tam vasta receptacula, quæ tot coërcere millia quirent, præsertim in populis ingentium ignorantibus operum structuras? Altera, metus ex numine fuit. Cælo teste, de summa rep. deli-

deliberabant, ut sinceros adferrent ad negotiorum magnitudinem adfectus. Rati, sub puero Jove magis præsentem Jovis haberi majestatem. Morem hunc constat in posteris hæsisse gentilitatis, & hære. Quanquam ne æstimatæ quidem à Deo gentis exemplo carentem. Sed nostræ venemur ætati propiora. Ante tria secula conventum sub dio Danorum Ericus egit. *Chronica Slavica: Anno Domini MCCCXII. rex Danorum Ericus in campo spaciofo & plano Ortus rosarum dicto prope Rostok maximam & multum solemnem tenuit curiam cum multis principibus & dominis terrarum spiritualibus & secularibus.* Neque renuntiat hodiernus instituto Polonus, & necessitate sese & antiquitate defendenti. Quem brevi, propter eligendum Uladislai successorem, infinitam cælo ostensurum nobilitatem, dirempti circulorum ambitu mirabuntur obstupescéntque campi. Diu quoque Francum de rep. vidére campi consultantem: donec, aëris inclementiam vitaturis, urbium septis, ædificiorumque claustris includere consulta cœpit. Et quid Caucasum taceo Minorem? Campum novit Auricanus ager Upstallesbomum. Illic ex omni Frisia, Rhenum inter atque Visurgim, comitiorum causâ coire delegati à populo solebant: illic, patulo sub cælo, consilia de rep. miscere,

tribunal excitare, & ardua quæque minuere controversiarum. Imprimis, si quid vitii fecisset antiquissima libertas, aut factura videretur, huc, velut ad libertatis aram, indignantis populi vota concurrebant. Unde, confluere ad Upstallesbomum, tantundem ferè Frisio significabat, ac ad vindicias secundùm libertatem poscendas advolare. Quid autem cesso Caucum meum ad testimonium citare Majorem? Ille verò ne nunc quidem pristinum patitur obsolescere morem, neglectum pridem exutumque Frisoni. Prope Basdaliâ locus, nullo pariete laborans aut tecto, VII. ab urbe Brema milliaria recedit. Inibi Bremani tractus Ordines, expositi cælo, congregiuntur. In eodem tractu *παλαιᾷ τινὶ ἢ πολυχρονίῳ ᾧ ἔσθησθαι, veteri quadam & à multo tempore deducta consuetudine*, quemadmodum de talibus Diodorus Siculus loquitur, agrestium sub Dio judicia passivitus exercentur. Plerumque annosa aliqua, & ingentibus onerata cornubus, desuper inspectante quercu. Cujuscemodi tres Upstallesbomum inumbrabant. Robur enim, reliquas inter arbores, publica præcellebat admiratione. Maximus Tyrius Celtam (Celtæ verò pars Germanus) robore signante, præsentem docet horruisse Deum. Dissert. xxxviii. τὸ δὲ βαρβαρικὸν ὄμοιον ἅπαντες μὲν ζῶντες ἔτι κατεστῆσαν ἵ αὐ-

ἢ αὐτῶ σημεῖα ἄλλοι ἄλλα. Κελτοὶ σέβασσι ἢ Δία ἄγαλμα  
 ἢ Διὸς Κελπιδὸν ὑψηλὴ δρῦς. Id est, Inter barbaros  
 similiter, qui Deum non agnoscat, nemo est: alii  
 tamen alia ei statuunt signa. Celtæ Iovem colunt:  
 Iovis autem simulacrum apud eos est alta quercus.  
 Quò referendum est illud, de triumphata Ger-  
 mania, Claudiani, in primo de laudibus Stili-  
 conis:

— & roborâ, numinis instar

*Barbarici, nostræ feriant impune bipennes.*

Sanctivam arborem succedentis ævi ruricola  
 vocabat. Vnde lex à Luitprando lata, Longo-  
 bardorum rege: *Qui ad arborem, quam rustici  
 Sanctivam vocant, adoraverit, vel incantationem  
 fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro  
 palatio.* Et observatæ quercus in nostris diu re-  
 fulsère monumenta moribus. Confectæ ad  
 annum M C C X L V I I I. de Advocatia  
 Braemstede tabulæ sic finiunt: *Actum juxta  
 castrum Haghen, prope quercum, vulgariter Staleke  
 nuncupatam.*

### C A P. XIII.

*Eruantur ad familiam, habitum, victum pertinentia  
 Servi, colonorum instar, habitu Germano. Cujus in  
 Chaucide deprehendunt indicia moderationis. Liti. Cur  
 liti, colonive, mancipiorum aliquando nomine debone-  
 stentur. Viri proprii. Barbaries eorum, qui servituti  
 naufragos addixère. Recentioribus, ante quinque secula,  
 cognita*